



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Explanatio In Psalmos

Complectens Psalmos à 126 ad 150

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Dusseldorpii, 1765

VD18 15558428-001

Psalmus CXXXI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53443](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53443)

entiam, neque de me ipse præsumo, sed omnem spem meam in Deo collocatam habeo; certè par est, ut populus meus Israel, qui etiam populus Dei est, non se existimet aliquid esse, cum nihil sit; neque in viribus suis confidat, sed speret in Domino, & non hodie solùm, aut cras, sed omni tempore speret.

PSALMUS CXXXI.

Titulus, & argumentum: *Canticum graduum.*

Psalmum hunc vel Salomon composuit, cum, ædificato templo, intulit Arcam Domini in locum ei præparatum; vel certè compositum à Davide, sibi que datum ad concinendum post templi ædificationem Salomon cecinit: id patet ex fine C. 6. L. 2. Paralip., tum ex totâ serie hujus Psalmi, ac præcipuè ex v. 10. Continet Psalmus ad literam primò ardentissimum desiderium Davidis ædificandi templum; Secundò petitionem ad Deum, ut stabiliatur Regnum, in domo David, ut sanctificentur ministrè Domini, & alia id genus, juxta promissiones antea Davidi à Deo factas.

B 5

ratur

ratur hic Psalmus inter graduales . tum quia cani debebat à populo redeunte à captivitate, ut excitaretur ad imitandum desiderium Davidis, & diligentiam Salomonis in templo reedificando; tum ut admoneatur spiritualis peregrinus, quanto fervore flagrare debeat, in ædificando spirituali templo tum in corde suo, tum in Cælesti Jerusalem.

v. 1. Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus.

Orat Salomon per merita patris sui. Vult Deus sæpe orari per merita hominum justorum, & sic multa concedere, quæ alioqui minimè concessisset. Mement Salomon solius mansuetudinis, tum quia hæc virtus in Davide potissimum eluxit, tum quia singulariter Deo placet, & facit hominem similem Deo. Illud, *memento*, non arguit oblivionem in Deo; sed significat Deum, si non miseretur filiorum viri justi, ita se gerere, quasi oblitus esset, quid apud se vir ille justus meruerit.

v. 2. Sicut juravit Domino, votum vovit Deo Jacob.

v. 3. Si

¶ 3. *Si introiero in tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum strati mei.*

¶ 4. *Si dederò somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem.*

¶ 5. *Et requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob.*

Exponit effectum mansuetudinis David, qui cum mitis erat, & humilis corde, indignum putabat, ut ipse haberet domum, & lectum, & Arca Dei non haberet sedem stabilem, templum scilicet, in quo honorificè permaneret. Votum, cujus hie fit mentio, colligitur L. 2. Reg. C. 7. Porro à ¶ 3. David inducitur loquens, & sensus est: juro, me non intraturum domum meam, ita ut obliviscar domûs Dei ædificandæ: *Si ascendero &c.* h. e. juro, me non ascensurum in *lectum strati mei*, ita ut non cogitem de loco templi, ubi propriè Arca Domini requiescat: *Si dederò &c.*, juro, me non dormiturum, nec dormitaturum, ita ut non vigilem circa templum Domini erigendum. *Et requiem &c.* juro, me non compositurum caput ad quiescendum, ita ut quiescam à sollicitudine Domûs Domini

mini

mini præparandæ. Quod juramentum, seu votum David fidelissimè implevit. *Vide* 1. Paralip. C. 29. à v. 2.

v. 6. *Ecce audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in campis Silvæ.*

Adfert rationem, cur David optaverit templum Domino ædificare, quia Arca Domini sedem propriam, ac stabilem non habebat. Porrò cum ea, quæ hîc referuntur, ante Davidem natum contigerunt, David, vel Salomon hîc non loquuntur in suâ personâ, sed in personâ populi. *Ecce audivimus* à majoribus nostris, Arcam aliquando fuisse in Silo, in terrâ Ephraim; & rursùm postea *invenimus*, & vidimus eam *in campis silvæ*; non enim deerant senes, qui ejus rei meminisse poterant. *Vide* 1. Reg. C. 4. & 6.

v. 7. *Introibimus in tabernaculum ejus, adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.*

Exposito voto, & desiderio patris sui Davidis, reducturus Salomon Arcam in templum à se ædificatum, ait: *Introibimus* &c. hætenus Dominus quasi hospes fuit in variis locis; sed nunc habebit

bebit stabilem domum, & ideo nos *introibimus in tabernaculum* ejus jam erectum in monte Sion, & *adorabimus* conversi ad Arcam sanctam, quæ est scabellum, *ubi steterunt*, ac stare solent *pedes ejus*. Sanctuarium in interiore parte tabernaculi sic constructum erat, ut Arca esset quasi scabellum pedum Domini, & super Arcam esset propitiatorium, quasi sedes Domini, quæ tenebatur à duobus Cherubim.

Ps. 8. Surge Domine in requiem tuam, tu, & Arca sanctificationis tuæ.

Introducitur Salomon Arcam in templum, poëtico more eum invitat, alloquens Dominum, non ut est in se, sic enim eum Cæli Cælorum non capiunt; sed ut peculiari modo erat in Arca testamenti, quia ex illâ responsa dabat. *Surge Domine* de loco, ubi hætenus quasi hospes habitasti, & ingredi in domum tuam propriam, tu cum throno tuo, & scabello pedum tuorum, quod est Arca, in quâ, & per quam tu ab omnibus, qui illam sciunt, sanctificaris, & honoraris.

Ps. 9. Sa-

¶. 9. Sacerdotes tui induantur iustitiam, & Sancti tui exultent.

Introductâ jam Arcâ in templum, orat Salomon primò pro Sacerdotibus, deinde pro Rege, sive pro se: nam ab his dependet salus totius populi: Sacerdotes enim regunt populum in spiritualibus, & Reges in temporalibus. Pro Sacerdotibus duo petit, ut non solùm iusti sint intus in corde, & animo, sed etiam exteriùs, ut in verbis, & operibus nihil turpe appareat, sed iustitia: deinde ut iidem Sacerdotes, qui Sancti tui propriè sunt, seu tibi ad ministrandum dedicati, exultent alacriter laudando te, & sic bene fungantur munere suo. Væ nobis miseris, qui ministerium Altissimi sortiti, tam procul absumus à fervore, quem Salomon in umbraticis Sacerdotibus exigebat.

¶. 10. Propter David servum tuum, non avertas faciem Christi tui.

Orat nunc Salomon pro Rege, seu pro se, & ut faciliùs impetret, adducit merita Patris sui David. Propter fidele obsequium, quod tibi præstitit pater meus, dum vixit, non facias, ut ego,
qui

qui patris mei loco unctus sum in Regem populi tui, confusus recedam à te, rejectâ prece meâ, & sic facias me avertere faciem meam à te.

Ps. 11. Juravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eam: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Incipit referre promissiones factas à Deo Davidi patri suo, ut, iis narratis, faciliùs impetret, quod petit. *Juravit &c.*; rem per se veram ex Dei promissione, certiozem & firmiorem reddidit juramento, & hoc juramentum non faciet irritum; scilicet dabo tibi successorem in Regno filium tuum.

Ps. 12. Si custodierint filii tui testamentum meum, & testimonia mea hæc, quæ docebo eos.

Ps. 13. Et filii eorum usque in sæculum sedebunt super sedem tuam.

Juramentum, & promissio finè pœnitentiâ, seu non irritanda est de uno filio, nempe de Christo, cujus Regni non erit finis; sed de aliis filiis promissio est conditionata: *Si filii tui & filii eorum usque in Sæculum*, h. e. perseveranter custodierint *testamentum*, seu fœdus Domini de

non

non habendis Diis alienis, & præcepta mea servaverint, *sedebunt super sedem tuam*, sin minus, ut factum est, *proicientur*.

✠. 14. *Quoniam elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi.*

✠. 15. *Hæc requies mea in seculum sæculi, hinc habitabo, quoniam elegi eam.*

Possent hæc aliquo modo intelligi de urbe Sion terrenâ, ut figura erat Ecclesiæ Christi: elegit enim Deus urbem illam pro tempore, ut esset urbs Regia, & Sacerdotalis, ita ut ibi esset thronus regius, & templum Domini. Sed tamen quia brevi diruenda erat, & evertenda, Regnum ex eâ tollendum, templum incendendum, dicendum est, hæc pertinere ad Ecclesiam Christi, & ipsa est Jerusalem, & Sion. Dominus juravit Davidi, se positurum, & stabiliturum filium ejus Christum super sedem ejus, quæ est *Sion*, seu Ecclesia, quia elegit eam in habitationem suam perpetuam, & de eâ dixit: non deseram unquam hanc Ecclesiam, sed in eâ perpetuò requiescam, quia transferam eam ad perfectam beatitudinem in Cælis, & ibi habitabo

bitabo in eâ, quoniam firmissimo, & æterno decreto elegi eam. Dicitur Deus requiescere, ut ait S. Aug., quando facit nos requiescere; quod fiet, si pars Ecclesiæ peregrinans in terris tandem adjungetur triumphanti in Cælis.

ψ. 16. Viduam ejus benedicens benedicam, pauperes ejus saturabo panibus.

Hic *ψ.* cum sequentibus, promittit civitati David, quæ est Sion, multa bona, quæ utcunque applicari possunt terrenæ urbi, ut figura erat Ecclesiæ, cui illa propriè, & perfectè conveniunt. Primò igitur promittit abundantiam rerum temporalium tantam (benedictio Dei in S. Scripturâ abundantiam significare solet) ut etiam viduæ, quæ solent esse maximè destitutæ, & alii pauperes satiari possint. Sed hæc abundantia in sensu ætiori significat copiam cibi spiritualis, verbi Dei, & Sacramentorum, quibus abundant filii Ecclesiæ, ii præsertim, qui sunt pauperes spiritu.

ψ. 17. Sacerdotes ejus induam salutari, & sancti ejus exultatione exultabunt.

Alterum bonum sanctæ Civitatis erit, quòd Sacerdotes ejus sanctitate, & justitia

C

tiâ

tiâ conspicui erunt, ut petierat Salomon
 v. 9. Faciam, ut Sacerdotes ejus induantur justitiâ, quæ est salus animæ, sicut morbus animæ est iniquitas. *Et Sancti*, seu Sacerdotes ejus cum alacritate Deum laudabunt.

v. 18. *Illuc producam cornu David, paravi lucernam Christo meo.*

Tertium bonum, & quidem maximum sanctæ Sion erit, quod ibi orietur Regnum David. *Illuc*, græcè, hebraicè *ibi*. Per *Cornu* metaphoricè intelligitur potestas, & excellentia Regia: ut enim cornu est durissimum, & elevatum; ita Regia dignitas est potens, & supereminens. Per *Cornu David* ad literam intellige Regnum Messiaë, quod erat inchoandum in Sion, & indè per totum Mundum propagandum. Unde hic v. intelligi non potest de Salomone, & Regno ejus, qui id temporis regnabat, & florebat; hic autem de futuro dicitur, *Illuc producam*, seu faciam oriri, & quasi germinare cornu David: quasi aperte prædiceret everfionem Regni temporalis, quod tunc vigeat, & suscitandum postea in eadem urbe Regnum æternum Messiaë.
 Illud,

Illud, *Paravi lucernam Christo meo*, dupliciter intelligi potest: primò per *lucernam* potest intelligi Messias, & per *Christum* David: Scriptura enim passim vocat *lucernam*, filium, sive posteros, nam in filiis parentes vivunt, & lucent: vide L. 3. Reg. C. 11. & 15.; & tunc sensus erit: *illic producam cornu David*, quia Davidi, Christo meo *paravi lucernam*, h. e. filium, successorémque ejus Messiam: unde ne illud *Ps. 11.*, *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*, carnales Judæi intelligerent de Salomone, explicatur hoc loco de Messia futuro. Secundò per *lucernam* potest intelligi S. Joannes Præcursor Domini, vide Joan. C. 5. *Ps. 35.*; & per *Christum* ipse Messias: cum enim hic venturus erat sine opibus, & comitatu regio, non facile à Judæis expectantibus Messiam, Regem temporalem, agnosci potuisset, nisi præcessisset Joannes, qui singulari suâ sanctitate, & vitæ austeritate omnium oculos in se converteret instar lucernæ in caliginoso loco. Dicit igitur: *illic producam cornu David*, h. e. Regnum æternum Messia, & jam *præparavi lucernam*, h. e.

Præcurforem, qui erat quasi lucerna,
Christo meo, h. e. Messiaë.

*Ps. 19. Inimicos ejus induam confusio-
ne, super ipsum autem effloreat sanctifica-
tio mea.*

Prædicat de futuris Christi inimicis:
eos implebo ignominiâ maximâ. Paulò
post Christi mortem Romani Judæorum
civitatem everterunt; ipsos magnâ fra-
ge affecerunt, & eorum, qui supererant,
alios vilissimo pretio vendiderunt, alios
in publicis ludis bestiis objecerunt: &
ab illo tempore gens Judæorum ubique
servit, ubique contemnitur: sed in die
novissimo non solùm Judæi, sed & Pa-
gani, Hæretici, & omnes falsi fratres,
qui Christo in membris ejus inimici fue-
runt, induentur confusione. Christus
autem cum omnibus membris suis in-
duetur gloriâ: nam sanctificatio, seu
gratia, quæ in hoc Mundo erat quasi se-
men in terrâ absconditum, vertetur in
gloriam, & emittet flores incredibilis
pulchritudinis.

PSAL-